

D. O. M. F.

# TEMPLA

CURIENSIVM,

ANTIQUA, COLLAPSA AUT IMMUTATA,  
SS. GANGOLPHI, NICOLAI, SIGISMUNDI, VITI, ER-  
HARDI, HIERONIMI, XIV OPITULATORUM, ANNÆ,  
S. SEPULCHRI, CLARÆ,

lustranda, quantum ex iis memoriae superest,

exhibet,

*eoque ipso*

ad habendum IV. Nonarum Januarii, anni ingredientis 1688.

ab ipsis sacris Matutinis

in

Illustri Curiano

ACTUM ORATORIO-GRA-  
TULATORIO-EUCHARISTICUM,

Curianæ Urbis Primores & Studiorum Patronos

invitat

M. JO. CHRISTOPHORUS LAYRIZ,

Gymn. Patrii Rector.

---

Literis Mintzelianis.



**X**pedito **CURIENSIUM RELIGIONIS** feliciter negotiò, ipsi nunc invisendi sunt Loci, in quibus illam exercere, & pietati suæ litare, Majorum aut persuasum erat simplicitati, aut infucatae collibitum devotioni. Ac nascentis eqvidem N.T. Ecclesiæ ea non fuit felicitas, ut publicis in locis & sacrum in usum dicatis Templis sacros celebrare licuerit conventus; Sufficiebant ipsi privatae ædes, aut, si neque hæ ubivis tutæ, vel angustus sustinebat angulus vices Attalici & magnificè extructi Templi, Ipse Summus N.T. Sacerdos, salutisque nostræ Magister unicus, **CHRISTUS JESUS**, non certo aliquo, sed variis in locis, cum pio fidelium suorum cætu, tam intra, quàm extra urbes, os divina sapientia repletum aperuit, quem Doctorem pari pasu secuti Discipuli, nullibi publicis usi Templis, si Hierosolymitanum fortè excipias, sed privatis Oratoriis & conventibus, Suburbanis quoque & littoreis sacris, ad sepulchrum Domini, aliorumque Sanctorum, si Prochoro, in vita S. Johani: hæc referenti, fides, inter cunabula isthæc Ecclesiæ prima contenti, adeò quoque ab Idolorum & Gentilium Templis abstinentes, ut nusquam in illis orâsse scribantur. Duriora adhuc & magis turbida adolescentis Ecclesiæ facta fluxerunt. Vix enim diu in Urbibus tutis agere licebat Apostolorum Successoribus, Doctoribus & Fidelibus aliis, sed ingruentibus variis Persecutionum turbinibus, ædificiis publicis, balneis & foro iis interdicebatur, neque usquam celebrandi conventum potestas dabatur, ad quos tamen in locis separatis, & sibi invicem solis cognitis, agendos, quivis alium studiosè impellebat, prodente *Eusebio*, H. E. L. V. c. 1. Quinimo majori imminente periculo, subter ipsam terram, in abdita sacella & modica, docentibus *Polydoro Virg: de Inventoribus Rerum* L. V. c. 6. & *M. Antonio Cocchio Sabellico*, *Enead.* VII. L. 6. se abscondiderunt, neque in his cryptis ubivis ab inquisitoribus liberi, quorum furor & in eas ipsas penetravit latebras, fidelesque, tanquam impios fures erutos, carceribus mancipavit,

pavit, gladio addixit. Nihilominus his angustiis parum deterriti, ipsos carceres Tempora constituerunt, quos monendi & instruendi causâ ingressi Presbyteri & Diaconi, ut *Cyprian. Ep. 15. L. III. docet.* Cœmeteriis quoque & Dormitoriis, Martyrum ostibus nobilitatis, in hunc usum conversis. Tandem & his pulsi locis, solitariis & agrestibus, silvis, montibus, speluncis item & antris se commiserunt, nullibi à periculo immunes, donec Deo halcyonia Ecclesiæ suæ elargiri fuit visum. Factum hoc plenius, cum Constantinus M. soliū Imperii conscenderet, & primus Christo nomen mentemque addiceret, sublatis è medio & devictis hostibus ejus truculentissimis, Maxentio & Licinio, Maximino etiam impiam animam inter cruciatus durissimos exhalante. Quamquam enim sub mediis Persecutionibus, crescente indies sanguinis pluviam Christi segete, aliquas Templorum loco in cœmeteriis erectas fabricas, exiles tamen, non negaverim, (prioribus nihilominus omnibus, quas Seculis jam I. & II. Pontificii quidam per somnium erigunt, cum *Origene, Isidoro Pelusiota, Scaligero, Polydoro Virgilio, Hospiniano, Jo. Baleo, Centuriat. Magd. Dannhauero, Bebelio, Stepmo & aliis, catapultis invictæ veritatis historicæ ritè oppugnatis & fortiter destructis*) quamquam etiam, sub Philippo Arabe, Ecclesias fuisse, Aurelium Probum Imp. Basilicas, & laxiora ædificia conventibus agendis extruxisse, & ante decimam Diocletiani decumanam ampliores Ecclesias in universis urbibus, fundamentis ad majorem laxitatem dilatatis, singulari Imperatorum humanitate & benevolentia erectas, testetur *Eusebius & alii ipsi ὁμολογοῦσι*, sub Diocletiani tamen & Licinii, post eum, Tyrannide, persecutionis turbine derepente redingruente, sacræ ædes è sublimi in solum, ipsis quoque fundamentis conqvasatis, passim rursus sunt dejectæ. Primi igitur M. Constantini pientissimo jussu Tempora Christianis non salva tantum concessa, solo æqvata reædificata, & multò majore splendore ac amplitudine quam olim illustrata, sed & nova ubivis Imperatoris sumptibus, excitata. Digna hæc magnificentia, quam *Sozomeni* ver-

bis L. i. Hist. Eccl. c. 8. hic denuò laudemus; Quòd ad sacra Templo at-  
tinet, quæ satis laxitatis habebant reficiebantur, alia altius erigebantur, la-  
tioraque non sine splendoris accessu fiebant, nova etiam, ubi nulla ante fuis-  
sent, ab ipsis fundamentis extruebantur, pecuniam autem ad hanc rem ex agrar-  
io regio suppeditabat Imperator, scribebatq; tum ad Episcopos, tum ad Præ-  
sides Provinciae cujusque, ad illos quidem, ut, quæ vellent, imperarent, ad hos  
autem, ut morem gererent Episcopis, eorumq; imperata studiose facerent: Ita-  
que unà cum prospero Imperii statu magnopere crevit Religio. Secuti pium  
hoc institutum alii postmodum Principes, & quocunque Christi  
se dilatavit Religio, quod in nostra veteri aut Trans Rhenana Ger-  
mania Pipini & Caroli M. gratiâ, operâ imprimis Bonifacii, Epi-  
scopi Moguntini, Seculo demum VIII. constanter factum, ibi  
etiam cultui exercendo divino Templo & Altaria sunt statuta, a-  
deò quidem, ut nullus in Germania excitatus ferè vicus, nedum  
dicam urbs ædificata, cujus incolæ non cum ipsa Religione Tem-  
pla quoque inferre fuerint annisi.

Nostri certe Majores CURIENSES, ex quo in unam hæc coi-  
ère societatem, in eam quoque animum appulere curam, ut Reli-  
gionis pietatisque publicè exercendæ publicas haberent ædes,  
quas ipsas, ut instituti & præmissæ Sciagraphiæ nostræ fert ratio,  
nunc lustrabimus, è longo diverticulo tandem hoc pacto in viam  
redeuntes.

Divisimus autem omnia & singula Curientium Templo in  
dicta ὑποσηπώσεσολius durationis ratione, quæ alia hodiernum no-  
bis supersunt, alia aut plane disparuere & jam diu ruderibus sepul-  
ta jacent; aut pristinam celebritatem exuerunt, in alios conversa u-  
sus; aut majoribus Templis inclusa, divino in hunc diem inserviunt  
cultui. Singula hæc, numero DECEM, nullo ordine, solâ Tabula  
duce, quantum quidem de illis restat, videbimus.

Primum GANGOLPHI Martyris insignitum invenimus  
nomine, quo ipso statim in limine errorem volumus sublatum,  
qui Tabulæ delineatoris irrepsit, ubi Gvolfgangi perperam videris  
scri-

scriptum, Gangolphi enim aut Gengulphi, ut alii scribunt, substituen-  
 tuendum, cui Sanctulo illud Sacellum fuit dicatum, quod nomen  
 Germanicè S. Gehülffen Chronica nostra & alii expriment Auctores.  
 Sita autem erat hæc ædes in Veteris Urbis extrema parte,  
 proximè ad Pontem Saxeum Salanum superiorem, an **der Obern  
 Steinern Brücken** qua iter patet commigrantibus hinc in Bohemiam  
 & Bavariam, paululum infra ipsum Laurentii Parochiale Templum.  
 Quo tempore, aut cujus sumtibus Sacellum hoc fuerit excitatum,  
 expresse adeo non liquet; Primis tamen statim conditæ Urbis  
 annis, & vigente maxime Papatus superstitione, suscepisse exordia,  
 ex eo mihi facile persuaserim, quod tam egregio dicatum sit Patrono,  
 quem si aut Sanctum Chimericum sive Utopicum, aut Sanctum non-sanctum  
 dixerò, minus certè erraverò. Est autem ille *Gangolphus*, quo *de Vincentius Spec. Exempl. Lib. XXIII. c. 159.*  
*Erphordiensis, in gestis ejus c. 67.* & per vetustus ille *Chronico-  
 rum liber*, qui in D. Michaëlis nostri comparet Sacratio, & ut epigraphæ  
 habet, ad preces providorum Civium Noribergensium, *Sebaldi Schreyeri & Sebastiani Kammermaisteri à Michaële Wolgemuth  
 & Wilhelmo Pleydenwurff. 1493.* Monachorum caractere fuit  
 expressus fol. 164. sequentia referunt: claruisse eum circa tempora  
 Constantini VI. & ita ad mediū Sec. VIII., in Burgundia, & fontem  
 quendam emisse in Gallia, eumque oriri fecisse in Burgundia,  
 cujus venditor, dum emtorum rideret, repente fontem suum viderit  
 siccatum, quod lepidum miraculum rectè inter signa mendacia, quibus  
 superstitionis illius Seculi confirmata, recensent *Centuriatores, Cens. VIII. c. XIII.* Titul. de Miraculis superstitionis & fabulosis.  
 Pari fide, non sine honestarum aurium læsione, de eo referunt: quod  
 cum fanus ei fieret, (à clerico enim, qui uxorem ejus adulteraverat,  
 in domo sua occisum, & pro in Martyrem factum strenuè nugantur,) &  
 multi ex contactu foretri sanarentur, ancillaque ad uxorem ejus  
 impiam hæc detulisset, illa responderit: Maritus ita miracula facit,  
 sicut meus pedex cantat, quo factum, ut quoties illa

Jeinceps per totam suam vitam verbum ore ediderit, toties etiam  
 crepitum cum foetore ex ano emitteret, quod *Martinus* in Chronico  
 sexta cum primis feriâ, qua maritus martyrio affectus erat, fieri so-  
 litum asserit, & Pipinus (Francorum Rex) accersita muliere verum  
 asse, in majorem gloriam Gangulphi martyris deprehenderit, vid.  
*Cent. d. l. p. 875.* Hunc igitur tam egregium Sanctum coluere Pa-  
 tronum simplices & superstitioni nostri majores, nec miseris sola-  
 mini ceserit aut excusationi, quod Erfurtenes eandem insanivis-  
 se insaniam, & Dagobertum quidem Regem Francorum, circa fi-  
 nem Sec. VII. (& ita ferè ante Gangolphum) Ecclesiam S. Gan-  
 golfo extruxisse & dotasse Hartmanno Schedelio legatur. No-  
 strum certe hoc, quoniam in Missis pariter & vanissimorum hominum  
 peregrinationibus, transeuntium quoque oblationibus, satis fuerit  
 frequentatum, dubium superest nullum, & situationis vel hodie-  
 num id loquitur commoditas, quæ Ponti ædem junxit, ut transe-  
 untes hinc, & aliunde in urbem nostram commigrantes, prius de-  
 votionem suam missâ probarent audita, aut oblato nummo, *mit  
 einem Opffer: Pfennig* propitium proposito suo divinum hoc  
 redderent Numen. Commendabat præterea & sacro huc peregri-  
 nandi cæstro perciebat mentes loci amœnitas, qua ipsum Sacellum  
 undecim proceris admodum & laxis salicibus industria colono-  
 rum cinxerat, locoque nomen indiderat, *zu den eiff Weiden/* è  
 quorum numero vel unicus hodie, sed magnitudine multum conspi-  
 cuus, superest. Characteris hi instar erant, quo cognosceretur, an  
 quis Curianam lustrarit, aut patriam habeat, urbem, si scilicet ad  
 quæstionem: *Ob er auch wüste/wo die eiff Weiden stünden/* hujus  
 ipsius ædis denominatione promptè responderet. Crypta subterra-  
 neâ ipsum Templum munitum fuisse legitur, quæ A. 1593. cum men-  
 se Febr. Pons adjacens novo pavimento consterneretur, adhuc  
 fuit detecta. Quod exitiale Templi hujus fatum attinet, orta Ev-  
 angelii lux illud acceleravit, qua accensâ, à Missis peregrinationi-  
 bus & consequenter oblationibus, quæ sustineretur, fuit dereli-  
 ctum,

Etum, hinc cum paulatim tempus edax rerum destrueret, circiter A. 1538. aut proxime post, Joanni Groën emtionis jure cessit, ut fragmenta & ligna imposterum aservaret, quod ligneos prius custodiverat Deos. Qui tamen cum icones sculptæ cum campanis ei auferrentur, contractum solvit, sicque Wolfgango Oberlendero coëmendi istud, & in horreum convertendi, locum fecit. Quâ autoritate id factum fuerit, non invenio, non tamen sine Summi Magistratus consensu contigisse, ex eo mihi persuasero, quod in publica ædificia privatis immunibus grasari haut liceat, & Sigismundi, reliquaq; suburbana Tempia istius consensu aliis usibus admota inferius dicentur. Hic A. 1547. & 48 Georgio Büthnero rursus vendidit, in cuius hæredum manibus ad A. 1553. hæsit, quo Mars integræ Urbi exitium minatus, in illud quoque desævuit. Restruetum tamen, sed soli framentorum aservandorum commoditati aptatum, cui hodiernum excubat fini, postquam emtionis jure ad alios devolutum cives.

D. NICOLAUM secundo locavimus loco, qui ut Gangolphus aditum veteris urbis custodivit ex parte superiori, & meridiem versus, sic tutari hic ejus media visus, versus occasum; ista quidem viâ, quâ in Franconiam & adjacentes tendimus Provincias, durch den öbern hollen Weg/ quo loco publicum hodiernum superest Nosocomium, das Lazareth. Eum autem Papatus hoc nomine vult cultum, quem illustri Prosapia ortum, Pateræ, Urbis Lyciæ civem natum, & puerum binis saltem per septimanam diebus, quarta scilicet & sexta feriâ, semel ubera matris fugentē, Episcopum tandem electum, & multis tum virtutibus tum miraculis referunt clarum; Inter illas humilitatem, alacritatem in exhortando, severitatem in corrigendo, continentiam, misericordiam, liberalitatem deprædicant, nobili illi cum primis exhibitam, cui, cum desperatione laboraret ultima, aliquot auri globulos per fenestram iniecit; horum non infimum habent, quod in procellis ac naufragiis, opem sentirent, qui nomen ejus invocarent, aut voto ei se obstringere: et, item, quod



quod perjurum istum nobilem, Judæum astu baculi, in quo aurum mutuo acceptum latebat, aservari illi dati, decipientem, & proin à carru necatum, refuseit arit, sicque Judæum Christianum effecerit, & quæ aliæ istorum in hanc rem nugæ. Huic itaque Majores nostri veniebant devoti, vel quod opem ejus præstolarentur in subeundis itinerum periculis, vel quod aliis bonis, quasi per fenestras, ab illo ditari posse se crederent, ex qua persuasione, ut passim in aliis, sic cum primis in nostra urbe, formulam & figmentum invaluisse, **Da S. Niclas um Weinnachten/** aut paulo prius, circa 6. scilicet Decembris diem, ipsi in fastis sacrum, **herum geht und den Kindern beschehet/** &c. vero haut videtur absimile.

Sed ad ipsum ejus Templum (de vita & Actis enim videantur *Legenda* ejus, *Surius* c. 26. *Vincentius Spec. Hist.* L. 13. c. 77. citatum *Chronicon* f. 132. b.) quod quando primordia ceperit liquidò non constat, succrescente autem indies & in latius se extendente Veteri Urbe, quod exstructum fuerit, probabili cum *Widemanno* ducor conjecturà. Anno certe 1296. jam stetit, ex literis patet Indulgentialibus, quas **CONRADUS** Episcopus Salisburgensis, Apostolicæ sedis Legatus, & **HEINRICUS**, Ravennatensis Ecclesiæ Episcopus, Curiam nostram transeuntes, *Laurentii* Parochiali Ecclesiæ *Michæelis* quoque & huic *S. Nicolai* Capellæ sunt elargiti.

A. 1299 cum utraque Urbs *Curia* miserabili incendio deleta, ipsamque hoc Nicolai fanum unà estet absumentum, cum Templo *Laurentii* & *Michaelis*, triennio post **GREGORIUS**, Pragensis Episcopus illorum reedificationem novis Indulgentialibus, rudibus satis & barbaris, rudemque proin & indoctum Episcopum arguentibus, juvit, quas apud *Widemannum* videsis.

A. 1430 cum Husitarum furor universam Urbem denuò igne & ferro perderet, hæc quoque Capella unà est depasta, sequentibus tamen tribus annis reedificata, & à *Gerardo* Episcopo Salonenfi, *Antonii* Episcopi Bambergensis vicario in pontificalibus (**Ben Bischoff**) de novo consecrata. Tandem cum diu satis Papi-  
stica

Itica superstitio & Ἐθελοδυσχεραία hoc quoque in loco viguisent,  
 singulari divini Numinis gratiâ tenebras istas à se depellerent  
 Majores, cultus idolatricus in illo intermitti ceptus est, & fanum  
 hoc paulatim in alios conversum usus.

Cum enim circa A. 1537. & ante, quæ ad finem superioris Se-  
 culi primùm Germaniam invaserat, ab Hispanis ex India advecta,  
 à Gallis postmodum denominata, lues Gallica, nostram quoque  
 infestaret Urbem, de commodiori Nosocomio extruendo solliciti  
 fuere communes Patriæ Patres, & cum locum commodiorem de-  
 prehenderent nullum arcem, quam D. Nicolaus habebat meridio-  
 nalem, rem ad Serenis. Marchionem GEORGIUM detule-  
 runt, petentes, ut in novi Nosocomii subsidium, & alios commu-  
 nes usus, Templum ista suburbana & campestris S. Nicolai, Sigismundi,  
 Gangolphi & Erhardi sibi destinarentur, quo impetrato, consilio &  
 auctoritate Domini Wolfgangi à Schaumberg, Capitanei tunc tempo-  
 ris nostratis, Senatus oppidanus rem suscepit, & feliciter, ut suo lo-  
 co videbimus, perfecit. Quamquam autem, quod recensui, Serenis-  
 simi ad nutu è rudibus quoque D. Nicolai ut surgeret, permitte-  
 retur, non tamen illicò dirutam hanc dixerim ædem, quod illa  
 quidem loqui videntur monumenta. Dicto enim Hierocomio  
 jam plenariò exstructo, & egenis in illud introductis, sexto tamen  
 Augusti die, post vincula Petri 1528, primum Evangelicum officii-  
 um ad D. Nicolaum fuit habitum, ut aperte recenset Widemannus, ad  
 dictum Annum, qui & A. 1542. in domum frumentariam adapta-  
 tam refert, quia annona levamento paupertatis aservabatur, quin  
 potius infestus urbi nostræ 1553. Annus ipsi penitus fuit emor-  
 tualis; quo, & 31. quidem Julii, horâ vespertinâ sextâ, unâ cum No-  
 socomio, ne appropinquanti hosti subsidio venirent, igne stu-  
 dio immisso fuit deleta, murorumque rudera penitus disiecta, cum  
 manè istius diei B. Streitbergerus Sup. ultimam inibi habuisset con-  
 cionem, pauperibus proposito hoc & illius suscipiendi necessitate ex-

M

PO-

positis, quod *Widemann* non tantum testimonio, sed et *Jacobi Schlemmeri* duo *In Qia* in *Historia Obsidionis Curianæ* constat.

Ad *S. SIGISMUNDUM* nos Tabula nunc ducit, cui *Tercium* ordine fecit locum. Quem hoc nomine papistica coluerit superstitione, ex legendis *Sanctorum* clarum fit, quæ Regem Burgundionum & Gundelbundi faciunt Filium, singulari pietate, precibus & jejniis, liberalitate item in pauperes, & magnificentiâ in exstruendis monasteriis & dotandis Ecclesiis conspicuum, multis itidem miraculis post mortem celebrem, ut quod cadaver ejus puteo immersum, cercis perpetuis, Angelorum ministerio puteum coronantibus, fuerit cohonestatum, hincque extractum, & monasterio Aganensi ab ipso fundato illatum, omnibusque tangentibus illud sanitatem, & à quovis morbo in insultu immunitatem præstiterit. Quam admirandam virtutem hodiernum adeo fabulantur validam, ut qui sepulchrum ejus inviserit, aut Numen invocarit, à febris, Chiragra & Podagra, cæcitate, surditate aliisque miseriis liberetur. Credat hoc qui velit, illud tamen firmo magis veritatis nititur fundamento, & idoneis Auctoribus adstrui potest, floruisse omnino *Sec. VI. Sigismundum* quendam, Burgundiorum, in non ita pridem noviter apud Ararim Rhodanumque condito regno Burgundico, Regem, impii Parentis, Fratricidæ & Ariana hæresi infecti, Gundebaldi aut Gundebaudi Filium, Christiana pietate imbutum, ut *Ado Viennensis* de prædicat, qui tamen, *Johan. Busfier Hist. Fr. L. 1. p. 29. 30.* sunt verba, cum Fratre Godomaro, Patris mores crudelitate & pertinacia imitatus, Francos habuit vindices, à quibus cum *A. 508.* Patri Gundebaldo successisset, bello deinceps appetitus, nec multo post captus, atque in puteum cum Uxore suâ liberisque dejectus, summoque cruciatu confectus, memorabilem Regisque stirpe indignam poenam dedit: Annum hujus exitus *Sigebertus Gemblacensis 520.* computat, vid. etiam *Schurz fleischii* accuratissima *Historia Veteris Regni Populique Burgundionum cap. 4. §. 3. & §. 4. Lit. d.* Et hic ipse ille noster est *Sigismundus*, qui quamquã ob continua-

tam

tam cum Fratris exemplo discordiam, peremptum itidem, malo novercæ consilio, Sigericum Filium suum, non bene abivis audiat, Sigebertus tamen ad A. 515. refert de eo, quod competenti poenitentiae se adjacens & Martyribus Agaunensibus se totum devovens, dignus fuerit venia, & id testari crebram post mortem ejus per eam multis concessam sanitatum gratiam & per eum febricitantibus indulgentiam curationem. Quod porro laudem ejus auget, Burgundiæ ab Ariana labe repurgatio est, quam convocatis Burgundiæ ad Concilium Eponense Episcopis, quod svasu Aviti, qui animum ejus ad literas & Religionis Disciplinam effinxit, ac deinde Viennæ Archi-Episcopus factus A. 509. convocasse visus, feliciter perfecit. His itaque & aliis meruit, ut in Sanctorum transcriberetur Catalogum, & quem Curia quoque nostra statuto in honorem ejus coleret Templo.

Locatum autem hoc erat extra Urbem in occidua ejus plaga, paululum infra arcem, è regione utriusque monasterii, ad marginem **des Schieß-Graben**/ qui hodiernum cum omnibus adjacentibus arvis **der Siegmunds-Graben** audit. Missis olim & institutis eò peregrinationibus multum fuit celebre, illo cum primis die quo Encæniam Ecclesiæ habita, prima scilicet post Pascha Dominica, quam Quasimodogeniti adpellant, quo ipso immensa hominum vendentium, coementium, quin & popinantium, pro genio Seculi, confluit turba, & à proximo pago **Unterfoßau**/ cui nunc ab hoc sua quoque defluunt eo die Festa *εγχαίσι*. die **Unterfoßauer Kirchweih**/ & aliis vicinis, tanta annonæ advecta copia, ut 16 ova 4, mensura butyri excocti 14, & Gallina 9 aut 10 nummis legantur coemta.

Natalis Sacelli hujus Annus in Actis Patriis haut commemoratur, patet tamen fatalis 1538. qui scilicet, ut supra innuimus, ingruit, cum pientissimus Princeps, D. GEORGIUS Senatus publicoque usui hoc Templum permitteret, quod tunc dirutum, & noviter suscitando inservit Nosocomio, ut Widemannus ad dictum Annum refert.

*Quartum S. VITI* fuit Templum, quod cum nomine tantum sit notum, & nullo alio pateat indicio, quam quod sacrificulum quadragenarium Curiensem *Joh. Köppeln* Libro cuidam ad calcem A. 644. 2. hæc verba ille visse testetur *Widemannius*: fuisse se *Premisarium* in Curia Regni, & pro tunc *Vicarium Capelle S. VITI* in jam tacta Civitate, neque nobis plura de illo afferri possunt, quibus nec animus *Viti* (duodecennis Pueruli seculi, qui sub Diocletiano cum *Modesto* *Pædago*, & *Crescentia* nutrice suâ, in Sicilia Insula martyriū dicitur passus, non obstante, quod filium ejus à Dæmonibus obsessum precibus liberaverint,) gesta & passa prolixius diducere.

Ad *ERHARDUM* enim properamus, *Quincum* Sanctorum, quorum patrocinium publico Curiani Papæi ambierunt posito Templo, quod, si limitaneum dixeris, eumque ex antiquitatis errore, Compitalem Deum constitueris, à Majorum scopo minime fortè aberraveris, cum limitis septentrionalis custos quasi, illi excubet viæ regie, quæ abeuntibus hinc in *Varisciam* reliquam, Inferiorem Saxoniam, item *Misniam* & *Thuringiam* tenenda, Vitam et gesta hujus Sanctuli prolixè adducere nimis foret prolixum; sufficiat, quod *Erhardus* *Oeciliam*, *Udalrici* Ducis cæcam Filiam curasse, & infinita alia vivus mortuusque edidisse miracula, in aureis ejus traditur legendis, quatuordecim quoque cum Fratre condidisse monasteria, quod Pontificiorum & Anti-Christi illum fuisse mancipium facile arguit, quo nomine jure *Centuriatores* eñ censent *Cent. VIII. c. 10. p. 770.* Quando intra nostræ Urbis pomeria habitare ei contigerit, expressè adeo non liqvet, pariter ut illud tempus abstulit, quo anno *S. Erhardi* cultus in egenorum & morbidorum immutatus curam, quod brevi à Reformatione factum, vero ad modum est simile. Cum enim A. 1553. Mars nostram premeret urbem, & quod superius monuimus, superioris Hierocomii incolæ *Vulcano* cedere juberentur, pars illorum cessisse *Erhardo*, & durante obsidione hostibus quoque curæ fuisse legitur; Hodienum hoc ipsum Sacellum superest, non autem tam cultu divino, quam privatis miserorum

calens precib<sup>9</sup>; in eo tamē veteris juris servat vestigia, quod præcipuis aliquot Festis, Pastoris Xenodochialis concionibus personet, eō cū primis die, quo Pauperes sacrosanctā utuntur Synaxi.

*Sextum* in Urbe nostra Sacellorum D. HIERONYMO fuit statutum, quo nomine procul dubio Stridonense illud & grande Ecclesiæ Christianæ lumen, Bethlehemesemq; doctissimum, pariter & pietissimum innuere voluerunt Presbyterum. Cujus licet ingentia sint in Ecclesiam Christi merita, Templum tamen neq; merentur, neq; sibi expetunt. Nostrorū nihilominus αγιουδελια eō quoq; se extendit, ut in veteris Templi Michaëlis ambitu exteriori, peculiarem ipsi dicaverit Capellam, quæ circiter A. 1480. cum Michaëlis Templum capaci redderetur, suo fuit loco mota, lapidibus in istius corpus transfusis. Ut tamen memoria perennaret, Dn. Hertindus de Stein, Parochus tunc temporis Curianus, septimam hujus Capellam, suis sumptibus structam, hoc nomine & novam D. Hieronymi Capellam voluit appellatam.

Gemina fere septima & Octava invenimus fata, quæ XIV. OPITULATORUM & D. ANNÆ, habitæ virginis Mariæ Matris, portentosa obtinuerant nomina. Illorum hæc communiter recensentur: Georgius, Blasius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Christoforus, Dionysius, Cyriacus, Achatius, Eustachius, Egidius, Margaretha, Barbara, Catharina; & horum sanctorum haut procul a Parochiali Xenodochii Ecclesia confederat, & post in Sacrarium ejus immutatū, tunc nobis dicendi dabit ansam, cū hanc ipsam erimus illustraturi. Illius autē Cœmeterio Franciscanorum, quod Superiori Edis Franciscanæ faciei, quæ Monasterium Claræ spectat, adhæret, erat impositum, stas quoq; missis & Concionibus notum, nec non in solenni crinium suspensione, qui Monialibus, Claræ se mancipientibus refecabantur simplici popello frequentatum. Destructa hæc ædicula cum A. 1545. Gymnasio nostro extruendo & Præceptorum habitationibus commodè figendis admoverentur manus, quod expulsâ Urbe Idololatriâ nullus extantior ejus videretur usus.

Extat equidem alia adhuc hujus nominis, in Veteri Urbe, quæ Laurentii Templo, atrii instar, inservit; Verum cum hæc hodie supersit, his ipsis saltim à priori discernenda fuit, impolterum autem cum Laurentii æde penitus quoque erit introspectienda.

Ad SACRI SEPULCHRUM igitur nos amandabimus nunc Templum, quod Majoribus nostris, non per tot distitas Terras in Oriente, verum vix uno alterove lapidis abhinc jactu erat visitandum & adeundum. Constiterat hæc gloria Urbi nostræ beneficio & impensis Civis nostratis Clarissimi, & ut in  
hone-

honestissima familia, sic re quoque laudissima constituti, *Dn. Casparis Geilsdorf*,  
 Consul in Kemp. nostram optime meriti, qui trans flumen Salam, ex alte-  
 tera Urbis parte, versus orientem Solem, egregium aliquod Sacellum, *Sepul-*  
*chri Dominici* monumentum, extare voluit. Conditum id ipsum A. 1509. &  
 proxima Dionysium antecedente die, septimo n. p. Octobris, per *CASPARUM*,  
 episcopum Vicarium Bambergensem, solennibus ritibus, in honorem sepul-  
 turæ Christi & Sanctæ Crucis, inauguratum. Dignum certe hoc erat monu-  
 mentum, quod hodiernum superesset, cum ipsum sepulchrum lapidi solido  
 incisum, & ad veram dimensionem, situm, & formam Hierosolymitani il-  
 lius, distantiam item ab urbe, exactè esset fabricatum. Exemplum enim *Ar-*  
*chetypi Martinus Müllerus* Curiensis Monachus, Hierosolymis tertio profe-  
 ctus, olim attulerat. Altare in honorem *Mariae*, Dei genetricis *S. Johannis Ba-*  
*ptistæ*, & *Evangelistæ*, *S. Hieronymi*, *Christophori*, *Josephi*, *Nicodemi*, *Mariae Ma-*  
*gdalene*, *Mariae*, *Jacobi Cleopæ* *Satomæ* fuit dedicatum, in quorum imaginibus  
 ars Sculptoris & pictoris naturam ita æmulari visa, ut mulierculæ factas pro-  
 fundere lacrymas apparerent. Singulis Veneris diebus tum ipse fundator,  
 tum Filius Johannes, missam in memoriam Passionis Dominicæ in isto  
 Sacello haberi curarunt, quoad Pontificiæ adhererent corruptelæ. Et quod  
 magis commendabat Opus, egregia illa erant antepagmenta quasi, quæ ma-  
 jori devotioni excitandæ septenario numero à D. Michaëlis valvis, æquali  
 viæ intervallo, usque ad dictum monumentum erant præmissa, ut septem ca-  
 suum, quibus Salvatorem sub onere Crucis in Terram prostratum tradunt,  
 memoriam iis ipsis salutariter in mentem sibi revocarent. Erant autem to-  
 tidem pilæ minores, lapide constantes, & in summo arcolum tegmine con-  
 stratam continentes, quibus singulis singuli Dominicæ Passionis actus arti-  
 ficiosè in ligno erant expressi, ut adeo in publicis die Palmarum, hebdo-  
 domate Crucis, & aliis institutis Processionibus, toties peregrinantes sub-  
 sistere, in genua procidere, & passionem Domini meditari admonerentur.  
 Hodie, ut *VVidemannus* suo jam tempore de quatuor pilarum ruina con-  
 questus, neque vola nec vestigium vel unicæ adhuc superest, sed partim unda-  
 sum, quæ si quando vehementius ingruunt, omnia isthæc loca longè latèque  
 perfluunt; partim hominum, partim etiam belli A. 1553. injuria, penitus  
 sunt disjectæ, & ipsum sacellum, ne oppugnatoribus stationem commodam  
 præberet, succensum, & in lapides versum, è quibus hodie rarissima super-  
 sunt rudera, & præter solû nomen, *das heilige Grab* omnia fere disparuere.

Unicum adhuc ex Tituli præscripto recensendum restaret nunc Tem-  
 plum

plum, quod *Decimum* ordine est, & S. CLARÆ gessit nomen, sed ne Program-  
matis limites typis nimis excedamus, in proximum hoc erit rejicien-  
dum.

Instituti enim nos nunc vocat ratio, ut & de iis quæpiam præferamur, qui-  
bus recens nato JESULO nostro non Saxea Tempia, quæ corruunt, nam

Mors etiam Saxis marmoribusque venit,

sed æternas in devoto pectore ponere aras, & laudum inibi offerre hec-  
tombas, pius fert animus. Scilicet diffusi in Sanctissimi hujus mysterii  
diffusam omnibusque hominibus salutarem utilitatem, publicè illam de-  
prædicare aliquot Illustris Gymnasii nostri annitentur cives, ita quidem,  
ut postquam proxima post ingressum novi anni, quem D. O. M. nobis omni-  
bus & singulis, totique Patriæ velit esse faustum undique ac felicissimum,  
die ipse RECTOR, pro more nobis recepto, consurrexero & Arenas Patriæ  
Patribus distribuero, dicturus unà: *de potioribus per Europæum Orbem superiori*  
*anno gestis*, ipsi simul læta anni dent auspicia, & sequenti ordine agendiq;  
proposito in Umbone se sistant Oratorio, & PRIMUS quidem dicendi ordine

JOH. ADAMUS Karner/ decisa Prologi loco quaestione: an Evangelii  
de Nato Christo prædicatio sit universalis, nec ne? tandem ex hac Uni-  
versalitate concludet, omnes quoque orbis nationes ad agendas Chri-  
sto gratias esse obstrictas, & omnem linguam natum hunc laudare de-  
bere Dominum. Hinc Orientem inducturus in Cathedra consistet

PAULUS Kraut/ Treuâ-Variscus, qui Oratione ulâ Ebraicâ in prosâ, pro-  
prio Marte confecta, Judæam cum primis exhibebit gentem, & demon-  
strabit, hoc Messiaë nati beneficium Ecclesiæ illorum fuisse quasi pro-  
priû, quò typo V. I. & Prophetias commodè trahet & explicabit. TERTIUS

WOLFGANGUS ADAMUS REINELIUS, Selba Variscus, Carmine  
Græco Sapphico illud exprimet gaudium, quod Gentilibus cum nato  
Messia ortum, iis enim hunc quoque datum, & in primitiis Gentium,  
Magis, appropriatum, probabit, adducturus simul commoda, quæ mis-  
ris gentilibus imminentium malorum loco hinc sint enata. QUARTUS

GEORGIUS LUDOVICUS ASTMANN. STIP. BRANDENBURG. Ver-  
sibus Heroicis Latinis & Occidenti hanc fuisse communicatam  
lætitiâ, gaudebit impense, & diducta Propositione: *Jesu homo natus*  
*est nobis*, cum de ejus persona & officio, tum de nativitatibus certitudine,  
quæpiam crenâ Poëtica diducet. Denique QUINTUS


ADA-




**ADAMUS FRIEDERICUS OEHLERUS** CURIENSIS, STIP. BRANDENBURG.  
 Priorum suspiria brevi Germanico Carmine resuscitabit, gratias Deo a-  
 cturus, tum pro salutari Filii natiuitate, tum pro concessis aliis benefi-  
 ciis, quæ inter minimum haut censebit, quod annus denuo faustus atque  
 felix nobis retro sit lapsus, pro futuro itaque, eadem fortuna decurren-  
 do, Vota & bona omnia apponet.

Hos itaque quinque **IUVENES**, quos tum pietatis in Deum, tum indu-  
 strie partim in studiis, & prompti obsequii modestieq; partim etiam eruditionis si-  
 gnamus caractere, ut dicto die, ab ipsis Sacris matutinis, brevisimis dicturos  
 gratiose & benigne audituri conveniant **SERENISSIMI PRINCIPIS AC**  
**DOMINI NOSTRI NUTRICIIQUE CLEMENTISSIMI** Consiliorum  
*Præses Summus, Consiliarius Intimus Eminentissimus, Exarchus Provincialis Cu-  
 rie Gravissimus, Illustrissimus Comes ac Dominus, DN. JOHANNES ALBER-  
 TUS, Comes de RONOY & BIBERSTEIN, Dominus in Oppurg, Knau, Krobix  
 & Grünau, Dominus noster multum Gratosissimus cum Nepote Illustrissimo, DN.  
 JOANNE FRIDERICO WILHELMO, Comite de Leinungen, Domino in VVe-  
 ster- & Schaumburg & c. Domino itidem nostro pergratoso; Nec non Viri Maxime  
 Reverendus ac Præ-Nobilissimus Dominus JOSEPHUS FRIEDERICUS à  
**VVALDECK**, in Cutmiz & Dæbra-Stæcken & c. Pastor Primarius Curianus &  
 Vicinarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii item Inspector Dignissimus,  
 cum Reverendo plurimum Ministerio; Nobilissimi, Excellentissimique Physicus  
 Ordinarius & Medici, Consultissimi Domini Officiales; Urbis Senatus Prudentis-  
 simus Spectatissimusque, Gymnasii nostri Patronus & Scholarchæ, nec non ho-  
 noratissimi Domini Collegæ, Præ-eximii ac Clarissimi Domini Studiosi, Omnesque  
 Literarum Patroni & Fautores, ea quæ par est devotione, obnixè rogitò, qui &  
 mihi Vota ferenti eandem exhibitam gratiam ac benevolentiam non inter  
 minimas felicitatis meæ reputabo partes, quæ omni obsequio & inservi-  
 endi promptitudine, quoad vixero, demerebor. P.P. *Ip[s]is Januarii Kalen-  
 dis, Anni, qui ingeminat:**

**O** Neco-Nate, PIIs LætVs transVrrere possIM,  
 FaXIs, oVans trItas Ibo reDibo VIas.





ANTIQ  
SS.GANGO  
HARDI, HI

lustran

ad habend

ACT  
TU  
Curiana  
M.

A  
M,  
MMUTATA,  
INDI, VITI, ER-  
ORUM, ANNÆ,  
riæ superest,

ingredientis 1688.

O  
IO-GRA-  
STICUM,  
rum Patronos  
LAYRIZ,

